

Narratio.

Dixerat quidem olim S. Paulus II. Cor. III. litteram occidere, Spiritum vero vivificare, sed uti hoc dictum in aliis materiis verum sit, in SS. certe Jesu nomine locum non habere videtur, utpote de quo cum veritate dici potest, quod etiam litteræ singulæ, quibus scribitur et depingitur, vivificent, et singulares doctrinas contineant. Scimus namque tribus id ordinariis litteris majoribus, IHS, cruceque super mediam litteram statuta depingi, quæ singulæ diversis tribus hominum statusibus, qui in republica reperiuntur, videlicet Clericis, conjugatis, et cælibibus periposite conveniunt, et quid quisque specialiter observare debeat, pulcherrime ostendunt.

Confirmationis pars prima.

Et primo quidem I littera, quam Clericali statui offero, percommode ostendit, tria capita seu documenta, quæ quivis Clericus diligenter notare et observare debet.

Nam 1^o sicut littera I est perfectissima ex omnibus (quia est simplicissima, rectissima, vocalis et consonantis vicem obiens, et interdum integræ vocis significationem continens, ut mox videbimus, habet item figuram columnæ, atque adeo fortitudinis est symbolum) ita Clericorum quoque status est omnium perfectissimus, ut pulchre indicavit Cassiodorus, dum dixit: « Sacerdos Dei altissimi si altitudinem cœli contempleris, altior es: si Angelorum discretionem, discretior es: si omnium Dominorum sublimitatem, sublimior es: solo Creatore tuo inferior es. » In specie vero descendendo, et singulas illius perfectiones considerando, *rectissimus* in primis est status iste, quia tantam vitæ rectitudinem requirit, ut quivis Clericus jure merito cum Christo dicere possit: *Quis arguet me de peccato?* Ne, dum alios curare satagit, ipsomet audire cogatur tritum illud: *Medice, cura teipsum.* Prieterea *simplicissimus* etiam hic status est, quia ut ipsum Clericium nomen, quod idem ac *sors Dei* significat, innuit, omnem suam spem desiderium, ac voluptatem in solo Deo collocare debet, dicereque proin cum S. Davide Ps. LXXII. mihi autem adherere Deo meo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam et gaudium meum. Et tan-

dem *firmissimus* est instar columnæ, ut rupis in medio mari hujus mundi posite, ut quæ nec fulmine minarum, nec flumine voluptatum, nec flumine promissionum et blanditiarum se a rectitudine sua moveri, et corrumpi sint.

2^o Sicut I littera est vocalis simul et consonans, atque adeo non solum ipsa per se syllabam facit et pronuntiari potest; sed etiam litteras alias per suam conjunctionem ad syllabam efficiendam juvat; ita Clericus non ad suam dumtaxat, sed proximi etiam salutem procurandam vocatus est, atque adeo, ut huic suo muneri probe satisficiat, merito Jesum, qui hodierna die nomen et officium Salvatoris suscepit, pro Magistro et exemplari habere debet: ad hoc discere debet, quanti oves suas aestimare debeat, nempe ut sanguinem etiam pro eis fundere non dubitet: ab hoc discere debet, quantum pro aliena salute laborare; quanta charitate, mansuetudine, et prudentia oves sibi commissas fovere, instruere, corrigere, et a periculis liberare debeat. Quod ut alacrius faciat, meminerit, quod, sicut littera I quando consonantis vicem obit, paulo longius scribitur hoc modo (Jesus) ita ipse quoque, dum aliorum salutem curat, non modo nihil de perfectione propria perdat (nisi sponte damnatum tale sibi accersat) sed plurimum potius lucrari, crescereque in sanctitate, merito, et solatio possit, cum officium hoc, sicut, teste S. Dionysio: *Est omnium divinarum divinissimum*, ita majus quoque jure merito premium, solutionemque a Deo expectet.

3^o Denique, sicut littera I interdum integrum verbum est, idem significans ac *vade*, ita Clerici per hoc momentum, quæ melia adhibere debeant, ut officio suo bene fungantur; quod nempe imprimis exemplo præire, et in hoc Christum imitari debeant, qui suos in Galileam, id est, morum conversionem ducturus dixit: Ego præcedam vos in Galileam, ideoque et in vita cepit *facere et docere.* Nimirum Clericus, et animarum Pastor virgins a Jacobo Patriarcha in canali positus similis est; hinc quales ipse colores moresque habuerit, tales etiam ipsius oves assumunt. Hinc merito illa memorati Jacobi verba ad Esau fratrem dicta erga Pastorem suum usurpant: « Præcedat Dominus ante servum suum, et ego sequar paulatim vestigia ejus, prout video parvulos meos posse, » Gen. XXXIII. Atque hæc videlicet causa est, cur tam pauci fructus nonnumquam ex concionibus, aliis-

que functionibus Pastorum referantur, quia plerisque illud S. Hieron. objici potest: « *Beatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat: accusare avaritiam etiam latro potest: Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent.* » Promptitudo, quam in functionibus officii sui præ se ferre debet Sacerdos; quæ in re meminisse juvabit, quod de S. Franc. Xav. insigni illo operario in vinea Domini scribitur, quod scilicet tam promptus ad omnem superiorum nutum fuerit, ut vel sola littera I a S. Ignatio litteris inserta sufficiens futura fuisse credatur, ut ex remotissimis Indiis, abjecta omni spe amplissimi fructus, Romam se collaturus fuisset. Pulcherrimum quoque hujus promptitudinis exemplum in ipso Christo habet, qui vocatus ad agrum sine hesitatione respondit: Veniam et curabo eum. Simili ergo modo Clericus Pastor ad agrum vocatus, celeriter accurrat, dicatque: Veniam et providebo illum; ad captivum vocatus: Veniam, et solabor illum; ad confessiones vocatus: Veniam, et audiam illum, et sic de reliquis functionibus discurrendo. Hic vel maxime observandum est Salomonis monitum Prov. III. datum: *Ne dicas amico tuo: Vade, et revertere, cras dabo tibi, cum possis statim dare.* Hic locum habet vulgare illud adagium: Qui cito dat, bis dat. Hic etiam, quod de Ducibus plerumque dicitur, quadrat, quod scilicet omnis illorum ars et vigor seu *felicitas in velocitate* sit posita.

Confirmationis pars secunda.

2^o Litteram II conjugibus offero, utpote quæ pari ratione pulchre illis ostendit, quid in statu suo matrimoniali observare debeant; nam 1^o conjungit duas lineas rectas per medium, cui Christus crucifixus insisit, ut discant conjuges rectam in matrimonio incedendo aut continuando intentionem habere, quod fiet, si bene prius deliberent, num Dei voluntas sit, ut hunc statum ineamt, deinde bene deliberent, quem consortem eligere debeant, ideoque dicent cum Apostolis Act. I. « Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem, aut quam elegeris; nam, teste Salomone Prov. XIX. » *Domus et divitiæ a parentibus, a Domino autem uxor prudens.* Quia vero Deus nostram cooperationem requirit, ideo prius condiciones boni viri vel mulieris indagandæ sunt, illæ maxime, quæ vulgaris in sponsa sua consideravit, dum

teste S. Paulo Epi. v. *Elegit sibi sponsum non habentem maculam (vitiosorum habitum) neque rugam (male famæ) neque aliquid luxuriosum (puta quod matrimonium fastidiosum facere posset) sed ut sit sancta et immaculata.* Quia talem considerationem omittunt, aut ad solam pulchritudinem aut divitias attendunt, ii quasi in tenebris copulantur, atque adeo mirari non debent, si licentem Liam pro amabili Rachele reperiunt. Hæc etiam pertinet, ut bonam intentionem præmittant ipsi copulationi, memores exempli a Tobia dati, qui e. vii. dixit: « Tu, Domine, scis, quia non luxurie causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula. » Hic ergo maxime locum habere debet illud Apostoli I. Cor. x. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quod pulchre significatur, quod conjuges, quantum fieri potest, pares esse debeant juxta illud Ovidii: « Si qua voles apte nubere, nubito pari, » hoc est: « *Wilst dass der Heyrath dir nicht fehl, mit deines gleichen dich vermähl.* » Debet autem hæc paritas in quinque præcipue capitibus consistere. 1^o In religione: quia experientia ostendit, plerumque maritos ab alienigenis uxoriibus seductos esse, ut in Samsone, Salomone, et aliis patet. 2^o In ætate: aliqui enim pronus in zelytypiam est lapsus. 3^o In divitiis et opibus: hinc ille quæsitus, cur uxorem sine dote elegerit, respondit, ne dotis freno constrictæ uxori nupsisse videat. 4^o In affectione et astimatione. Hinc Deus in prima creatione mulieris dixit: *Faciamus ei adiutorium simile sibi*, ut scilicet uxorem tanquam carnem suam diligat. Hinc et Apostolus Epi. v. ait: *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit, et S. Petrus L. c. II. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi inferiori vasculo muliebri impatiens honorem tanquam coherentibus gratiæ et vitæ; ob quam causam Eva ex costa Adami creata est.* 5^o In supportatione onerum et mutuum defectum juxta illud Apostoli Gal. VI. *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Hinc conjuges deberent esse similes duobus illis ascribis, de quibus Simon Maiolus in canicularibus scribit, quod tergo ita sibi connexi fuerint, ut, si unus ambulabat, alter pedibus in altum erectis ab eo portaretur.

II. Littera H est tantum aspiratio, et si inversa legatur, *ab* significat; per quod si-

gnificatur conjugibus, statum matrimonialem rem quidem plenam tribulationibus esse, juxta S. Pauli testimonium I. Cor. vi. dicentis: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi*, hinc perpetuo similes lamentationes audiuntur: Ah quam malum maritum, aut uxorem habeo: ah quam immorigeros filios geni: ah quam infidos famulos sortitus sum! Ah quam durum magistratum, quam ingratos vicinos nactus sum etc. Sed tamen ne in his desperent, Christum in medio consistentem effecturum; ideo enim primum miraculum in nuptiis Canæ Galilææ fecit, ut significaret, se esse, qui aquam tribulationis in vinum lætitiæ convertere possit, et velit. Si ergo sentiunt tribulationem ex mutuis defectibus, et discordia, meminerint Christum inter ipsos stare et dicere: Pax vobis: *Tollite jugum meum super vos*, et memento, vos quemadmodum duos boves iugo alligatos esse, qui, nisi quieti et communi labore jugum portent, frustra se defatiant, et difficultatem portandi oneris graviorem faciunt. Si ex liberorum malis moribus tentationem et molestiam experimini, memento, quanta cura Christus erga nos homines Patris officium exerceat, et etiamnum exerceat, et tamen quam multos habeat ingratos, ac immorigeros filios, ita ut merito illa Is. verba c. i. usurpet: *Filios enutrivit, et ipsi spreverunt me*. Si ex famulis gravitatem sentitis, imaginemini Christum quasi inter vos stantem et dicentem: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. » Verbo Christus semper in medio vestri sit, sicut olim fuit inter duos Discipulos in Emmaus euntes, repetereque credatur verba illa: « Nonne oportuit hæc pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? » Cur ergo nos alia via intrare velimus? Sic experiemini aquam tribulationum in vinum gaudii, et lætitiæ converti, et non annum dumtaxat presentem, sed totam etiam vitam vestram in felicitate transigatis.

Confirmationis pars tertia.

Denique celibibus et juvenibus maxime litteram S offero, quæ habet serpentis figuram, ut significem difficultatem et periculum viæ hujus, de qua recte dixit Salomon Prov. xxx. « Tria mihi sunt difficilia, et quartam penitus ignoro, scilicet viam viri in adolescentia sua. » Quanto ergo periculosior status est,

tanto majorem curam adhibere debent, ut viam bonam eligant; quia sicut qui semel in principio itineris viam bonam non eligit, quo magis progreditur, magis errat; ita et ipsi, si statum, ad quem a Deo vocati sunt, non mature arripiant, a via justitiæ Christianæ, et salutis propriæ magis semper declinabunt. Quæ autem melior via, quam vita Christi, qui de se ipso dixit Jo. xiv. *Ego sum via, veritas et vita*? Ab hoc ergo discant: 1^o Bona fundamenta in juventute ponere; neque tempus inutiliter consumptum putent, etiamsi multos in iis ponendis annos impendere sit opus; habet enim hæc ætas se ut fundamentum, cui tota reliqua vita inniti debet; constat autem, quantum momenti positum sit in ipso fundamento, ex cuius infirmitate totum reliquum ædificium, periculo ruinae exponitur. Et sane hoc ipsum experientia quotidiana confirmat; unde enim tam debiles et imperfecti liberi? Tam exigue naves? Tam infaste in republica expeditiones, et administrationes? Tam multa in statu Ecclesiastico scandala exoritur? Nisi quia liberi statum conjugii, aut regiminis, aut curæ animarum suscipere coguntur, aut permittuntur ante, quam bona solidaque fundamenta posuerint? Discant ergo hunc errorem corrigere, et ad hoc ipsius Christi exemplum considerent, qui triginta annos voluit hic fundamento ponendo impendere, non quo ipse tanto tempore egeret, sed ut nos pulcherrimo hoc exemplo ad imitationem provocaret, ac instrueret.

Discant 2^o per litteram hæc a Christo, in quibus maxime rebus proficere debeant, scilicet in sapientia ac sanctitate. Hæc, hæc sunt duo fundamenta, sine quibus nullus in reliquam ætatem fructus sperandus est. Hinc Christus nihil aliud de se ab anno duodecimo usque ad trigesimum scribi voluit, ut ostenderet, ad hæc duo omnia alia, quæ a juvenibus addisci aut exerceri debent, revocari posse. Huc ergo omnis conatus, et labor convertendus, certeque credendum est, non pulchrius aut accommodatius juveni enonium, aut testimonium dari posse, quam si cum Christo proficisse, ætate, sapientia, gratiaque coram Deo et hominibus deatur. Ut autem hunc profectum tanto facilius, certiusque acquirant.

Discant 3^o Quo potissimum medio proficere debeant, scilicet *subjectione* pariter per litteram S. indicata. Hoc enim medio Christum usum fuisse S. Evangelista Luc. c. ii.

testatur illis verbis: *Et erat subditus illis*. Et sane necessitatem hujus medi jam olim veteres ingeniose ostendebant, dum adolescentiam, et juventutem oculis velatis, dextra manu vincula, et sinistra extensa pingebant, ut significarent, ejusmodi personas habere semper difficultatem ad bene operandum, esse autem expeditas ad male agendum, juxta illud GES. xviii. *Sensus et cogitatio hominis in mala prona sunt ob adolescentiam suam*. Sed et cacum esse propter defectum experientia, atque adeo nisi aliorum consilio se dirigat, nihil effecturum. Certe quam efficax medium ad proficiendum, et crescendum sit sapientia, et sanctitas, Christus ipse quondam pulchre virgini cuiusdam Religiosæ ostendit, dum eandem in specie parvi pueruli visitavit, cumque ipsa ad portam vocata (janitricis enim munere fungebatur) mox relicto Christo ad cam properasset, reversa eundem Christum in specie juvenis reperit, querensque, quomodo tam grandis tempore tam brevi evasisset, audivit, per ipsius obedientiam tam grandem effectum esse.

Epilogus.

Atque hæc sunt, quæ pro felici novo anno obtinendo consilia occurrunt, quibus hoc unicum dictum adjicio: Hoc fac, et vives, quia Jesus erit Salvator tuus, erit Magister tuus, et erit præmiator tuus, in hac quidem vita per benedictionem copiosam, in altera vero per coronationem gloriosam, quam nobis is propter SS. nomen suum gratis concedere dignetur. Amen.

Alii conceptus.

I. Ex occasione novi anni poterit Concinator alia ejusmodi xenia aut stenas spirituales offerre. Et 1^o Quidem Jesulum recens natum, vel ejus effigiem. *Ein Jesus Kindlein*. Dicit ergo pro exordio, varia a variis xenia offerri; sed quæ plerumque in angulo vel cista reconclantur. Se vero daturum tale xenium, quod semper cupiat ob oculos ipsorum versari, nempe Jesuli effigiem, ita tamen ut diversis diversam sit daturus.

Et 1^o Quidem Clericis dicat auream se offerre, ut meminerint, se dignitate laicos excedere, sicut aurum alia metallâ superat, atque in via quoque sanctitate ac perfec-

tione eosdem superare student. 2^o Sicut aurum valde potens est ad humana corda attrahenda splendore suo, ita et illos debere splendore doctrinæ, et bono exemplo vite suæ homines ad meliorem viam reducere. 3^o Sicut aurum mire confortat cor, ita ipsos quoque afflicta et perturbata pectora roborare, et consolari debere.

II. *Conjugatis* dicat se argenteum Jesulum donare. 1^o Ut meminerint, sicut argentum longe vilius est auro, ita se quoque Clericis longe inferiores esse, atque adeo debitam reverentiam ipsis exhibere, et per unione cum illis ornamenta varia accipere debere. 2^o Ut studeant valde puri esse et leves ac nitidi, sicut argentum; quia debent bono exemplo præire domesticis, et quodammodo dicere posse: Quis arguet me de peccato? 3^o Ut, sicut per argentum necessaria ordinariè comparantur, ita ipsi sint loco argenti domesticis suis, et omnia necessaria illis quoad corpus et animam sollicite et amanter provideant, ita ut aliquando dicere illis possint: Quando vobiscum eramus, numquid aliquid defuit vobis? Alioqui verendum erit, illud Apostoli I. TIM. v. *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habuerit, fidem negavit, et est infidelis deterior*.

III. *Juvenibus et virginibus* dicat se Jesulum ex cera virginea offerre, ut inde discant 1^o potissimum suum studium esse debere in candore et puritate mentis et corporis procuranda et conservanda. 2^o Ut meminerint, etiam colores, præcipue rubrum verecundia, et modestie exterioris iungere juxta illud monitum Apostoli PHILIPP. IV. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete; modestia vestra nota sit omnibus hominibus*. Quod maxime curandum est, si Christum amicum habere velint ac protectorem, nam « Ubi Christus est, ibi modestia est, » teste S. Gregorio Nazianzeno. Hinc S. Edmundo apparenis dixit, se lateri ejus in scola adherere. 3^o Ut meminerint, sicut imago cerea fragilis est, ita suam quoque ætatem ac statum infirmam, et ruinae expositam esse, ideoque diligenter se custodiant, et non multum vagentur foris, maxime inter petricula, ne pulverem et sordes animi contrahant, et Jesulum quoque suum deperdant.

IV. *Famulis et ancillis* ligneum Jesulum se offerre dicat, ut meminerint 1^o se in infimo gradu esse, atque adeo libenter se cum Christo, qui propter ipsos formam servi

assumpsit, subijciant, et perfecte obedientie student. 2^o Ut bene ponderent pro sua consolatione, sicut, etiam si Jesulum effliges lignea cedat aurea, et argentea quoad materiam, non tamen est minori honore digna, quam aurea, imo miraculose Christi imagines plerumque lignæ sunt; ita nec se apud Deum et Sanctos minoris meriti, et æstimationis fore, si Jesulum per veram obedientiam, et humilitatem representent. Itaque sint contenti suo statu, et sibi applicent illud Siracidis consilium c. 11. « Confide in Deo, et mane in loco; facile est enim in oculis Domini, subito honestare pauperem. » Talis sane et tantus quisque est, qualis et quantus est apud Deum, dixit humilis S. Francisus.

V. In Epilogo hortetur, ut boni consulant hoc donum, et in memoria vivaciter teneant, et sicut olim Judei in tristitia vel tribulatione constituti dicebant ad se invicem: Eamus ad Jesum Filium Mariae, ut hilares fiamus; ita et ipsi in omnibus suis necessitatibus ad suum Jesulum confugiant, tanto copiosius experturi auxilium, quanto magis se eorum in ipsum fiduciam extenderit.

Conceptus secundus

Ex eadem occasione poterit dicere, se pro xenio oblatum litteras censuales, quasi si habuerint, et retinuerint, nihil ipsis sit de futurum toto anno imo per totam vitam. In propositione dicat, has litteras non esse alias, quam sententiam illam: *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adficientur vobis*; hanc quippe sententiam habere omnes conditiones, quæ in litteris censualibus optari possunt.

Nam 1^o *Pauca exigunt, et multa promittunt*; nam pollicentur omnia, quæ ad sustentationem corporis et animæ sunt necessaria: exigunt autem solam scilicet mandatorum divinorum observationem; atqui mandata ejus graviora non sunt, teste S. Joanne I. Jo. v. et ipsemet dixit, *Jugum suum suave esse, et onus suum leve*. MATTH. II.

2^o *Septem firmis sigillis sunt munitæ et confirmatæ*, septem scilicet titulis, quos Deus in justo reperit exigere, ut ei necessaria non neget; nempe quod sit creatura, homo, Christianus, servus, amicus, filius, sponsa; si ergo lilia et aves sic pascit, quanto magis hominem, amicum, filium, etc.

3^o *Qui eis dedit, potens est dare, quod promisit, quia omnipotens est; et vult stare promissis, quia fidelissimus est, et fallere non potest. Et vero etiam experientia id satis confirmavit in Israelitis per coturnices, manna, aquam ex silice, Elias panes a corvo allatos. In Apostolis item et Eremitis novi Testamenti, ita ut merito dixerit S. David Ps. xxxvj. Junior fui, elemi senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus querens panem.*

4^o In Epilogo animentur omnes ad litteras has censuales diligenter asservandas, et liberis etiam commendandas; caveant vero, ne vel eas lacerent per peccatum veniale, vel omnino eas per mortale peccatum amittant et destruant, sed potius de illis sibi dictum putent, quod Salomon. Prov. iv. suavit: *Omni custodia serva cor tuum* (et litteras has tuas) *quoniam ex ipso vita procedit*, id est felicitas tua oritur, nam et hic tibi temporalia, et ibi aeterna bona adjiciuntur.

Conceptus tertius.

Non incommode poterit etiam pro xenio spirituali horologium offerri; sicut enim sine horologio materiali tota respublica difficulter bene administratur (unde Carolus Quintus ex ejus bona vel mala directione bonum vel malum statum alicujus civitatis collegit) ita multo magis ex horologio spirituali animæ omnis bona administratio et felicitas animæ dependet.

Dicat ergo Concionator hoc horologium nihil aliud esse, quam ipsam vitam cujusque recte et ordinate institutam. Sicut enim, horologium tribus præcipue partibus constat, indice et hora distincta, æquibulo et rotis mobilibus (*die Urube*), et ponderibus, ita pariter hæc tria ad vitam recte ordinandam requiruntur.

Nam 1^o Sicut index, ut horas rite indicet, debet non voluntatem directoris, sed solis cursum et motum sequi; ita vota quoque nostra, ut ordinate et recte instituantur, debent non voluntatem directoris, sed solis Justitiæ beneplacitum actiones quotidianas velut horas per bonam intentionem velut *indicem* designare et imperare debet. In his enim quotidianis actionibus recte obeundis tota cujusque hominis perfectio consistit, ut communiter docent Asectæ. Hinc S. Aug. in Ps. cl. ait:

« Vis semper laudare (et amare) Deum? bene fac omnia, quæ facis, et laudasti semper (ac amasti) Deum. » Et hæc perfectio omnibus communis est, ad quam Christus MATTH. XII. invitavit dicens: *Estote perfecti, sicut Pater vester celestis perfectus est*; id est, sicut ille omnia, quæ fecit, fecit valde bona, ita et vos omnia, quæ agitis, perfecte facere studeat; neque enim ad hoc requiritur rigor penitentiae, cum vita quotidiana sit optima penitentia, ut recte quondam Joannes Berchmannus e Soc. Jesu dicebat: sed nec spatia producta orandi exiguntur, quia « Qui conservat legem, multiplicat orationem, » teste Siracide ECL. xxxv. nec abstinentia a rebus mundanis, sed tantum ut suam quisque personam, suasque actiones quotidianas recte obeat.

2^o Per rotulas et æquilibrium potentiae animæ tam internæ (videlicet memoria, intellectus, et voluntas) quam externæ quoque sensuum et potentiae loco motivæ intelliguntur; hæc enim omnes nisi conspirant, omnia consistent, horasque confuse et perverse index indicabit. Hinc Deus præcipit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, anima, viribus, et fortitudine*, etc. Et Ecclesiasticus hortatur c. xxxiii. *In omnibus operibus tuis præcellens esto*. Bene notandum tamen, quod plurimum in libramento (*der Urube*) per quod discretio intelligitur, sit positum, uti bene S. Bern. advertit, dum dixit: « Tolle discretionem, et virtus jam non virtus, sed vitium erit; hæc enim omni virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem et perpetuitatem confert, etque non tam virtus, quam quedam moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, et doctrix morum. »

3^o Et potissimum pondus in horologio requiritur, per quod amor Dei intelligitur juxta S. Augustini testimonium dicens: « Amor meus, pondus meum; hoc feror, quocumque feror. » Quasi dicere voluerit, bene quidem fieri, si actiones nostræ propter premium peragantur, sed incomparabiliter melius, si propter amorem Dei suscipiantur; sicut enim plumbum ab auro, ita actio ob premium ab actione propter amorem Dei peracta superatur. Hinc tantopere Deus semper amorem commendavit, præcipue CANT. VII. *Pone me ut signaculum super brachium tuum*, ut tam desideria, quam opera ad mei amorem ac beneplacitum dirigantur.

4^o In Epilogo hortetur, ut non modo hoc horologium benevole suscipiant, sed etiam bene dirigere student, eumque in finem illum S. Petri Damiani sententiam sibi dictam putent: « Noverrit significator horarum, quia nulla magis in Monasterio (et homine) quovis est oblivio fugienda; si enim articulum suum cujusvis synaxis hora vel preveniat, vel dilata non teneat, omnem procul dubio subsequentium horarum ordinem turbat. » Quia vero ut rotule bene officium suum obeant, sæpius ungenda sunt, ideo unctio-nem istam per frequentem orationem, et Sacramentorum usum, quibus gratia divina impetratur, perficiant, sic enim futurum est, ut et in hac vita bonus reipublice status sit futurus, et melior olim in altera securus.

Conceptus quartus.

Alias poterit dicere, se quidem hoc anno nullum xenium oblatum, sed tamen artem doctorum, qua xenium sibi gratissimum, et utilissimum conficere queant, nempe aurum verissimum, et præstantissimum et copiosissimum.

In prima ergo parte probet opera bona esse optimum et verissimum aurum juxta illud S. Barnardi in Ser. de Sexag. « Fratres si divites esse cupitis, veras divitias amate. Solæ veræ divitias sunt, quæ nos virtutibus divites faciunt. » In specie vero id ipsum probet ex tribus virtutibus seu effectibus auri. 1^o Quia sicut aurum valde conducit ad Deum Sanctosque honorandos (si ad eorum honorem aurea vasa et similia fieri pro templis jubeantur) et amicos conciliandos; ita multo magis eundem finem per opera bona obtineamus, cum juxta communem sensum Doctorum, pulcherrimus et gratissimus Dei et Sanctorum cultus sit vita. 2^o Quia sicut auro obediunt omnia, ideoque ad omnia emenda est utilis; ita bona opera, et pietas, quæ per ea exercetur, ad omnia utilis est, teste S. Paulo I. TR. IV. et S. Joanne dicente I. Jo. I. I. « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et, quidequid petierimus, accipiemus ab eo. » 3^o Quia miram habet virtutem ad cor confortandum; ita multo magis cor roborant opera bona, ante mortem (quia *secura mens quasi jure convivium*. Prov. xv.) in morte (quia gaudebis semper vespere, si diem in-

sumas fructuose) post mortem, quia *opera illorum sequuntur eos*. APOC. XIV. sicut S. Barlaam pulchre per parabolas trium amicorum decleravit, quorum primus tantum vestem obtulit, alter ad fores et domum iudicis comitatus est, tertius in ipso iudicio defendit, uti fusius in Spec. ex. tit. Amicus ex. i. videre est.

In secunda parte ostendat, quid requiratur ad hoc aurum faciendum nempe *1º Fornax*, id est, cor juxta illud MATTH. XIX. *De corde exeunt cogitationes, etc., et ignis charitatis, cuius necessitatem S. Paulus I. Cor. XI. indicavit, dum dixit: « Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. »* Hinc ante quodvis opus principale clamandum: *Veni, S. Spiritus, reple tuorum corda Fidelium, et tui in nobis amoris ignem accende. » 2º Materia apta*: qualis sunt actiones prohibita, alioqui audiretur illud I. REG. XV. *« Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius, ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victimae. » 3º Lapis philosophicus*, elixir ab aliis dictus, ab aliis alia nomina accipiens, per quem Christus intelligitur, tum ut ad illum tamque causam exemplarem respiciamus, et imitemur; tum ad illum tamquam causam efficientem et cooperantem confugiamus, cum dixerit Jo. xv. *Sine me nihil potestis facere*; tum denique ut ad illum tamquam causam finalem actiones nostras per bonam intentionem dirigamus.

In epilogo hortetur ad artem hanc exercendam illis Christi verbis MATTH. VI. *« Nolite vobis thesaurizare thesauros in terris, etc. Thesauritate autem vobis thesauros in caelo, ubi neque oerugo, neque linea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. »* Sed et liberos suos doceant usurpantes illa Tobiae Senioris verba Tob. IV. *« Nolite timere, Filii mei, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene, nam et hic sustentationem necessariam, et ibi aeternam beatitudinem habebimus.*

Conceptus quintus.

Simili modo poterit pro xenio caput Jani offerre, dicereque in exordio, ideo a Januario annum novum inchoari, ut indicetur eos,

qui annum talem felicem habere cupiunt, caput Jani duas facies habentis assumere, et uno quidem ad praeterita respicere, altero futura providere, et ex illis vitam suam sapienter ordinare debere, quemadmodum Rex Janus fecit, qui ob eam causam cum duobus capitibus pingitur.

I. Ergo dicat illius faciei, qua praeterita respicere debemus, oculo dextro beneficia a Deo anno superiore accepta nos intueri debere, nam, teste Cassiodoro, *« jugiter sibi subvenire facit, cui collatum beneficium semper ob oculos astitit? »* E contrario vero, ut bene S. Bernardus advertit, *« gratiarum cessat discursus, ubi recursus non fuerit; nec modo nihil augetur ingrato, sed etiam in perniciem vertitur; »* nam, quanto majora sunt hominibus beneficia constituta, tanto peccantibus graviora iudicia sunt praeparata. Imitari ergo debemus flumina ad locum, unde exeunt, revertentia, ut iterum fluant, dicereque cum Davide Ps. cii. *Benedic anima mea Domino et noli oblivisci omnes retributiones ejus, etc.* Sinister vero oculus ad praeterita peccata conjiciendus, atque in memoriam illa S. Pauli sententia revocanda Rom. VI. *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Imitandus proin filius prodigus, dicendumque cum eo: *Pater, peccavi in caelum, et coram te, etc.* quia peccavi in conspectu tuo post fidem toties datam, post veniam toties obtentam, hodie, o Christe, primo sanguinem fudisti, ergo per hunc amplius lava me, et a peccato meo munda me. Hodie nomen Jesu et titulum Salvatoris nactus es, ergo propter nomen sanctum tuum esto mihi Jesus, et salva me. Hodie primum vulnus accepisti; per illud ergo rogo te, ut cures vulnera animae meae, et facias me sincere servire tibi. Hodie legem sponte accepisti; ab offer aeterno Patri hanc observationem pro transgressionibus meis, et doce me facere voluntatem tuam. Nunc tandem agnosco, quam vere sit dictum: Vanitas, praeter amare te, et tibi soli servire. Sero te amavi, o pulchritudo tam antiqua et nova; sero te amavi. Dixi, nunc ceppi, juravi; et statui custodire iudicia justitiae tuae, confirma, quod operatus es in me.

II. Alterius faciei, qua futura respicienda sunt, oculus dexter ad futuras actiones ut bene ordinentur, convertendus est. Hoc ut efficiamus praestemus, tria observanda sunt. *1º* Ut tempus magni aestimemus, imaginemurque nobis illud esse thesaurum quasi

opertum, ex quo, quamdiu vivimus, exportare possumus, quantum volumus meritorum caelestium, atque adeo illud Eccl. c. xiv. *dicunt nobis de eo credamus: Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te pretereat. 2º* Ut bene observemus conditiones ad opus meritorium requisitas; neque difficile hoc credamus, si ad proecium propositum oculos reflectamus; quis enim operarius haec omnia et plura non libenter et facile praestaret, si pro quovis motu aureus nummus illi promitteretur? Quanto facilius ergo erit haec praestare, si gradum gratiae et gloriae omni thesauro terreno pretiosiore pro quovis opere promissum credamus. *3º* Est, ut easdem nostras actiones bene etiam applicare studeamus, et exemplo SS. Joachim et Annae in tres partes dividamus, et primam quidem, id est, fructum honoris et laudis Deo tribuamus, alteram, nempe fructum meritorium nobis servemus; tertiam denique, videlicet, fructum satisfactorium et impetratorium pauperibus, tam videntibus quam defunctis transcribamus. Sinister oculus ad ea, quae patienda sunt, convertendus, ubi iterum tria praestanda. *1º* Ut cerio nobis persuadeamus, debere omnes nos per multas tribulationes introire in regnum Dei. *2º* Ut bene artem patiendi discamus, quae in hoc consistit, ut patienter, libenter, et alacriter patiamur. *3º* Ut semper myrothecium paratum in memori habeamus, quo vel per considerationem Christi, vel memoriam infernalium poenarum, vel caelestium gaudiorum spem nos roboremus, et ad patientiam excitemus.

In epilogo dicat: *« Quis est homo, qui vult vitam, et diligit dies videre honos. Ps. xxxii. Declina a malo, et fac bonum etc. »* Eum in finem audiamus consilium Salom. Prov. iii. dicentis: *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum; offeramus ergo hodie has primitias, et 1º gratias cum S. David agamus dicentes: Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi, etc. Ps. cxv. 2º* Cum servo Evangelico MATTH. xvii. dicamus: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. 3º* Cum eodem S. Davide Ps. lxxvi. dicamus: *Dixi nunc ceppi.* Sic novum annum feliciter inchoabimus, feliciter continuabimus, et feliciter finiemus, et post plures annos simili modo absolutos annum felicissimum aeternitatis inchoare merebimur, quem nobis concedat, etc.

Conceptus sextus.

Ad eundem finem poterit ei cultellus lapideus, quo Christus circumciscus est, servire, quem poterit variis personis offerre.

In exordio itaque dicat, varias a variis causis afferri, cur Christus circumciscus est, servire, quem poterit variis personis offerre. In exordio itaque dicat, varias a variis causis afferri, cur Christus circumciscus est, servire, quem poterit variis personis offerre. In exordio itaque dicat, varias a variis causis afferri, cur Christus circumciscus est, servire, quem poterit variis personis offerre.

In exordio itaque dicat, varias a variis causis afferri, cur Christus circumciscus est, servire, quem poterit variis personis offerre. In exordio itaque dicat, varias a variis causis afferri, cur Christus circumciscus est, servire, quem poterit variis personis offerre. In exordio itaque dicat, varias a variis causis afferri, cur Christus circumciscus est, servire, quem poterit variis personis offerre.

1º Ergo dicat se cum Clericis offerre, ut eodem partim domi abscondat, quidquid ipsorum altissimum statum minus decere potest, sicut implent S. Augustini saluberrimum monitum dicentis: *« In omnibus moribus vestris nihil reperitur, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. »* Partim ut publice reserent in Concionibus inutilia germina vitiorum, quae suis subtilis specialim nocere possunt, ipsis enim hujus vineae cura commissa est, quam tanto diligentius colere debent, quanto majorem debebunt reddere rationem, si negligant: et quanto praestantius vinum solide consolationis sperare poterunt, si accurate eam excolant.

2º Dicat, eundem cultellum se magistratui offerre, ut eo respectu reipublice sibi commissa utatur, velut *Medicus respectu corporis*, praecipue autem, ut reseret putrida membra, quae totum corpus, inficere possunt, qualia sunt Haeretici, Judaei, fures, latrones, usurarii, meretrices, etc. Deinde ut eodem ulcera sanorum membrorum, id est, gravia scelera subditorum incidant, ne magis crescendo gravia damna reipublice creent. Item ut eodem dividant, quae juxta justitiam distributivam dividere oportet. Quae omnia tanto accuratius servare debent, quanto majus et praestantius reipublice corpus est, quantoque adeo majorem vel honorem et praemium, vel dedecus et poenam sperare vel timere possunt, si bene vel male medici officio fungantur, si enim Siracides de quovis medico dixit: *« Honora medicum propter necessitatem »* c. xxxviii. quanto magis il-

lum, qui tam ampli et pretiosi corporis sedulam curam gerit, honorare ac premiari oportebit?

3^o Dicat, se eundem patribus familias offerre; ut *domesticos* suos velut *arbores* intueantur, et ab iis inutiles ramos precipiant, eorum maxime vitiorum, quae domestica disciplinae, pacique obesse possunt, qualia sunt tepor in orationis studio, inobedientia, discordia, scurrilitas, otium, impudicitia, fidelitatis neglectus, etc. Quae omnia tanto diligentius praescindere oportet, quanto uberior ab his arboribus fructus non ipsos dumtaxat patres familias, eorumque subditos, sed totam etiam rempublicam, et tam militantem, quam triumphantem Ecclesiam redundaturus sperari potest. Hinc Christus tam gravibus verbis ad hanc curam excitat, dum I. Tim. v. dicit: « Si quis suorum, et domesticorum maxime curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. »

4^o Dicat, se eundem cuiusvis private personae offerre, ut seipsam *velut hortum* consideret, cuius areolae sunt potentiae, flores vero actiones virtuosae, quae a potentis oriuntur, et a Deo, Coelitisque eum voluptate decerpuntur. Quia vero plerumque spuria vitulina se immiscet, qualia sunt vana gloria, socordia, amor proprius, sensualitas, tepiditas, immansuetudo, impatientia, inconstantia, ideo perpetuo cultro opus est, quo quomodolibet germina praecidantur, ne humorem bonum gratiae divinae, et fervoris exugant, et huius defectu flores exarescere faciant. Ad hoc nos hortatur S. Paulus Coa. iv. dicens: *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes*, etc., quia, ut sapienter S. Bernardus s. LVII. super Cant. advertit: « Parum est, semel putasse, saepe putandum est; imo, si fieri potest, semper enim, quod putari potest, si non dissimulas, invenies. »

Pro epilogo hortetur, ut non modo benevole hunc cultrum accipiant, sed etiam studiose utantur, eumque in finem illa Dei verba Jer. iv. sibi dicta putent: « Circumcidimini Domino, et auferite praeputia cordium vestrorum viri Juda, et habitatores Jerusalem, ne forte egredietur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit, qui extinguat. » Sed et quis circumcisionem circa se faciendam aequo et alacri animo admittat, credens de se quocumque dictum illud Act. xv. *Quia, nisi circumcidimini, non potestis salvari*; nam sicut Christus nomen suum per circumcisio-

nem obtinere debuit, ita et nos salutem per idem medium spiritualiter applicatum obtinere debemus, quod nobis concedat, etc.

Conceptus septimus.

Poterit etiam utiliter duos annulos, et cum iis aeternitatis tam miseram, quam felicis memoria pro xenio offerri.

In exordio itaque dicat, olim apud Romanos nemini concessum fuisse alium annulum, quam ferreum portare; postea vero etiam auri usum concessum fuisse, sed solis nobilibus (unde postmodum magnitudo victoriae ab Hannibale apud Cannas reportatae ex eo coniciebatur, quod aliquot modii auroorum annulorum collecti sint ex funeribus nobilium Romanorum), se tamen optare, ut sui Auditores omnes utrumque talem annulum portent, et per ferreum quidem aeternitatis misera damnatorum; per aureum vero aeternitatis felicissimae Deatorum memoriam refrigerent; vix enim explicari posse, quantopere conducatur haec memoria ad vitam sancte instituendam; cuius rei clarum exemplum in S. Davide habemus, qui, cum Ps. xxvi. dixisset: *Cogitari dies antiquos, et annos aeternos in mente habui*; mox effectu subiungit: *Exercitabam, et scopebam spiritum meum*. Sed et miles ille expertus est; cui Alex. Magnus annulum dederat ea lege portandum, ut aeternitatis meminisset; vix enim eum portare inceperat, et totus mutatus est. Ut ergo et ipsi Auditores similem fructum referant, dicat, se ostensurum, quam efficaces sint supra descripti annuli ad hunc finem obtinendum, et quomodo iisdem uti debeant.

In propositione ergo dicat, varias olim fuisse Philosophorum sententias circa quaeestionem, qua quaeberetur in quo sapientia et perfectio hominis consisteret? Sed in hac controversia optime et brevissime sensum suum explicasse Epictetum dum sapientiam in duobus vocibus istis: *Abstine, et sustine*; consistere dixit; nam, ut S. Aug. etiam advertit, nihil aequo nos impedit a profectu, quam male ardens cupiditas, aut male jacens timiditas. « Omnia peccata, ait in Ps. lxxxix. duae res faciunt in homine, cupiditas et timor. Cogitate, discuite, interrogate corda vestra, perscrutamini conscientias, videte, utrum possint esse peccata, nisi aut cupiendo, aut timendo. » Contra haec autem

duo impedimenta vel maxime hi duo annuli defendunt.

In primo ergo annulo dicat scripta esse haec verba: *Momentaneum, quod delectat; aeternum, quod cruciat*. Was wohl thut, wehrt eine Kleine Zeit: Was weh thut, wehrt in Ewigkeit. Hanc ergo sententiam aspicere et legere debemus, quoties ad illicitas voluptates allicimur. Quem enim non absterreat haec cogitatio? Quis ignea in crato vel fornace per medium dumtaxat quadrantem torri vellet, ut quantacumque huius mundi voluptate frueretur? Quanto minus ergo eam appetet, ut aeternis ignibus uratur? Ita sane extinxit libidinis flammam Monachus ille, qui ad luxuriam provocatus digitum candelae applicuit dicens: Videamus prius, quam consentiamus; an aeternos ignes possimus sustinere? Sed et Falco famosus peccator hac consideratione conversus est, dum noctu dormire non potens hanc cogitationem concepit: Ecce in molli lecto jacens tantam molestiam et insomnia pateris, qui acciperes, ut per totam aeternitatem tali modo jaceres? Sane non omnes mundi voluptates. Quanto minus eas accipere deberes, ut etiam cruciaberis, et quidem tam horrendae in aeternis ignibus? Et sane si cruciatus non forent, sola privatio gloriae etiam sufficeret ad hanc abstinentiam obtinendam; si enim famelicus ad convivium magni Domini vocatus libenter et facile per breve tempus famem patitur, et mucido pane abstinere; an homini ad aeterna gaudia invitato difficile esse poterit, per modicum vitae tempus voluptatibus abstinere? Ita sane S. Sylvanus se animabat, quando ad aliquid delectabile aspiciendum incitabatur; sic enim oculos alloquebatur: *Claudamini oculi mei, claudamini, et ad meliora vos gaudia reservate*. Simili ergo modo se quis in similitudine, aut alia constitutus alloqui deberet. Nec dicas posse te nihilominus aeternam felicitatem obtinere, si scilicet in vite fine poenitentiam agas; nam, ut omnia alia argumenta taceam, quibus plerumque haec stulta et noxia praesumptio refutatur, hoc unum dico, nimis incertum esse, an poenitentiam hanc acturus sis; nulla autem satis magna securitas est, ubi aeternitas periclitatur.

In altero annulo dicat haec verba esse scripta: *Momentaneum, quod cruciat; aeternum, quod delectat*. Was weh thut, wehrt in Kleine Zeit: Was wohl thut, wird in Ewigkeit. Huncque annulum aspiciendum

esse, quoties in gravem aliquam adversitatem incidimus. Ita sane Mater Machabeorum filium suum animabat dicens II. Mach. vii. *Peto, note, ut aspicias ad caelum et ad terram, et ad omnia, quae in eis sunt, ita fiet; ut non timeas cursum istum. Non enim sunt condigne passionis huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*, teste S. Paulo Rom. viii. Et, ut S. Hieron. dixit: « Nullus labor durus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria aeternitatis emitur. » Si enim Jacobo Patriarchae tot anni in brevissimis laboribus exacti visi fuerint durus praer amoris in Rachel magnitudine; quidni breviores nobis accidant quantumque anni, ut fruamur pulchritudine infinita Dei; si Diabolus ipse olim confessus dicitur, se libenter omnia damnatorum tormenta toleraturum usque ad iudicii diem, si unico momento Deum aspicere permitteretur, quid nos non libenter tolerabimus, ut aeternum aspicere eum possimus? O quam bene S. Bernardus dixit: « Utinam saparent et intelligerent, et novissima providerent, ut aeternitatis imago reformetur in nobis, videlicet ut praesentia moderemur, praeterita per intelligentiam iudicemus, et novissima provideamus per cautelam. »

Pro epilogo hortetur, ut duos annulos tamquam singulare donum non tam a se, quam a Deo accipiant, ut qui iam olim P. Christophorum Carum Soc. Jesu Presbyterum iusserit haec pauca verba assidue volvere: *O aeternum! O momentaneum! O longum! O breve!* Haec ergo et ipsi volunt, et secundum illa vitam ordinent. Eum in finem audiant S. Bern. Ser. xv. ad Clerum dicentem: « Non transeat opera nostra, ut videtur, sed temporalia quocumque veluti aeternitatis semina jaciuntur. Quale semen sparseris, tale et metes. » Claudat denique concionem salutaribus illis versibus:

« O Ewigkeit, o Ewigkeit,
Wie bist so lang, und breit!
Betracht, o Mensch, die Ewigkeit,
Freud ewig, ewig Leyd.
Wilst ewig verneyden,
Das ewig Leyden,
Wilst ewig nicht scheyden,
Von ewigen Freuden,
Betracht die Ewigkeit. »

Conceptus octavus.

Non ingratum quoque Auditoribus xenium futurum est, si calendarium spirituale illis offerat. Itaque pro exordio dicat, varia quidem hoc tempore calendaria pro xenio ab astrologis et typographis offerri, sed quae ob fallaciam suam plerumque plus indignationis et detrimenti, quam utilitatis et solatii afferant; se proinde gratius calendarium illis oblaturum, utpote in quo non nisi certissima quaque, et optima predicantur, quodque non ab homine confectum, sed ab ipso Deo dictatum fuerit:

In propositione postea narret, quod aliquando S. Catharinae Sennensi eventit, dum Christum rogavit, ut viam ostendere dignaretur, qua ad veram animae pacem pervenire posset, audivitque ab eo, pacem hanc non aliter, quam per voluntatis suae cum divina perfectam conformationem obtineri; ut autem hanc conformationem tanto facilius obtineat, potentiam, sapientiam, et bonitatem Dei infinitam ab eo assiduo ponderari, et firmiter credi debere.

Hac narratione praemissa dicat, totum calendarium duabus propositionibus consistere, quarum prima est: *Nihil accidit cuicumque potest sine Dei permissione*: si enim Diaboli olim in porcos introire non poterat, priusquam a Christo id permitteretur, quanto minus homines vexare quisquam poterit sine voluntate Dei? Hinc merito idem Christus Pilato dixit JOAN. XIX. « Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. » Et iterum MATT. X. « Nonne duo passeret asse veniunt? Et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. Vestri autem capilli omnes numerati sunt. » Altera est: « Omne, quod accidit, optimum est cuique. » Quia, teste S. Paulo ROM. VIII. diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Hinc merito Josephus Patriarcha fratribus suis dixit GEN. L. « Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum; sed Deus verit illud in bonum. » Et S. Chrysostomus: « Quid timet homo in sinu Dei positus! Tu de ipsius sinu noli evadere; et quidquid tibi e venerit, in bonum cedet. »

Pro praxi hujus calendarii hortetur, ut, quoties sollicitudo aliqua aut timor illis subortus fuerit, ad hoc calendarium confugiant

exemplo Christi, qui in agonia positus, tibi calendarium hoc inspexit, viditque suum calicem ex voluntate Patris oblatum, et ipsius paterna manu preparatum esse, mox adeo roboratus est, ut ultro ad illum chibendum hostilibus obviam processerit. Similiter ergo modo, ut illi se gerant; suadeat, atque ut cura Heli assiduo dicant: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat*. Et cum Davide: *Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti*. Et cum Job: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum*. Sic enim verificatum iri in illis, quod Salomon c. XII. Prov. dixit: *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit*.

Conceptus nonus.

Denique dicere poterit concionator, varias hoc tempore strenas et xenia offerri, se cor novum optare, eo quod hoc ad novum et felicem annum praeter ceteris conducatur. Hoc itaque cum felici anno sic precari, ut tamen simul etiam ad illud procurandum juvare paratus sit. Eum in finem offerre se imaginem, in qua Christus juxta fornacem Fabri ferrarii consistens, et cor quoddam in igne calefaciens depictus sit cum hoc lemmate: *Ecce nova facio omnia*. Juxta illum vero anima cor suum offerens, et dicens: *Paratum cor meum, o Deus, paratum cor meum*. Pro hac imagine explicanda dicat, se tria diciturum. 1^o Quid sit cor novum. 2^o Quantum hoc conducatur ad felicem annum obtinendum. 3^o Quomodo tale cor obtinere possimus.

Pro prima ergo parte dicat, cor semper a Deo summe aestimatum fuisse; hinc praeter reliquis illud petivit Prov. XXIII. *Probe, Filii mi, cor tuum mihi*, et Prov. IV. *Omni custodia serua cor tuum*. Cur autem tanti faciat, causam mox subdit: *Quia ex ipso vita procedit*, non corporalis tantum, sed spiritualis etiam, id est, amor, qui ibi sedem fixit. Hinc etiam teste Davide Ps. XXXII. *Finxit singillatim corda eorum*, nempe triangulare faciendo, ut ostenderet, non per rotundum mundum, sed solam Trinitatem id repleti posse: inferius acuminando, et superius dilatando, ut inmeret illud per amorem non plus terram et terrestria appetere debere, quam quantum ad necessitatem sustentationis requiritur, erga caelum vero et caelestia latissima patere debere: sed et duos motus

attractionis et expulsionis ei constituendo, ut per illos intellegat, sibi per amorem omnes creaturas expellendas, solum vero Deum tanquam vitalem auram attrahendum esse. Ex quibus facile colligitur, quid sit cor novum, scilicet cor novo Dei amore accensum, seu efficaci proposito instructum, Deum ex corde diligendi, et omnia quidem peccata studiose devitandi, opera vero bona cum simili studio exerendi. Quale S. David habebat, de quo ipse Deus testatus est Ps. LXXXVIII. *Inveni David scream meum, circum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*. ACT. XIII.

Pro secunda parte dicat, hoc cor esse optimum medium ad felicem annum obtinendum; quid enim est bonus annus, nisi in quo jucunde vivimus, et omnia juxta voluntatem habemus; atqui talem annum habebit cor novum, et cum corde Dei conformatum. Habet enim imprimis spem omnium provisionis, et benedictionis in rebus necessariis corpori et animae; si enim timentibus Deum non est inopia, quanto minus amantibus illum deesse quidquam patietur? Deinde nihil ex adversis eum contristatur, uti Salomon Prov. XII. testatur, id quod David Ps. XXXVI. egregie confirmat dicens: *Accedet homo ad cor alium (id est, cordi Dei conformatum) et exallabitur Deus*. *Sigillatim parvulorum factae sunt plagae eorum*. Nimirum in tali verificatur id, quod Ps. LXXXVIII. Deus ipse dixit: *Osculo sancto meo unxi eum, manus enim mea circumdabitur ei et brachium meum confortabit eum*.

Pro tertia parte, quomodo scilicet cor novum obtineri possit, dicat, melius id fieri non posse, quam si illud artificii, qui illud fecit, restituatur, nempe Christo, qui fecit singillatim corda eorum, qui, uti Salomon Prov. XXI. ait, quocumque voluerit inclinabit illud. Ad hunc ergo properet, qui cor novum habere cupit. Hunc audiat dicentem Prov. XXIII. *Probe Filii mi, cor tuum mihi Ecce nova facio omnia*. Est proinde, qui cor peccatis et voluptatibus affixum habet, is audiat EZECH. C. XVIII. monentem: « Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. Projicite a vobis omnes prevaricationes vestras, et facite vobis cor novum, et spiritum novum. » Est, qui durum cor se habere advertit, audiat ei iste Christus per eundem Proph. C. XXXVI. promittentem: « Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et

Tonus V.

auferam cor lapideum. » Est, qui frigidum habet, accedat ad Christum, et cor ardens, sicut Discipuli in Emmaus recipiet. Est, qui obscureatum cor habet, accedat cum recto corde, et illuminabitur, experieturque, quod PsAL. XVI. dixit: *Lux orta est justo, et rectis corde laetitia*.

Pro Epilogo dicat, se renovare votum suum illis verbis H. MACH. C. I. « Beneficiat vobis Deus, et det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem corde magno, et animo volenti. Quia vero etiam nostra cooperatio requiritur, suadeat omnibus, ut accedant ad praesepe, et dicant cum vernaculo Poeta:

Gegrüst seyest du, o Jesulein,
Schons Kindlein,
Nimm bin mein Hertz, gib mir das dein,
Lass beyde Herzen ein Hertz seyn.
Was dir missfallt, missfall auch mir,
Auch mir gefallt, was gefallt dir.
Der Will ist gut, gib du das Werk.
Und mich mit deiner Allmacht stark.

Tunc vero dicent cum Davidi PsAL. LXXVI. *Defecit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea in aeternum*. Tunc dicent cum S. Paulo: *Vivo autem jam non ego; vivit vero in me Christus*. Tunc quoque dicent cum S. Bernardo in jubilo: « Jam, quod quiesivi, video: quod concupivi, teneo; amore Jesu languo, et corde totus ardeo. » Ille ergo, letamini, et exultate, et dicite: Nunc cepti. Haec est mutatio dextrae Excelsi, cui sit honor et gloria in saecula. Amen.

CAPUT IX.

De praxi conciones Paschales habendi.

Sicut hoc tempus Paschale ob mysterii, quod recollitur, festivitatem merito ab Ecclesia magna cum laetitia, jubiloque peragitur; ita solemniore quoque et magis festive, atque ad laetitiam ac hilaritatem excitantes conciones expectantur. Eum in finem aliqui Concionatores temporis, ac caeremonias tunc adhiberi solitas, maxime overum benedictioni se accommodantes, ova Paschalia spiritualia suis Auditoribus offerunt, et cum his varias doctrinas ad vitam perfectius deinceps instituendam conducentes suggerunt. Alii, morem multorum, nescio ubi ant quo-

modo introductum secuti fabellam Paschalem (*ein Ostermährlein*) narrat, et ex eo occasionem sumunt, doctrinas aliquas spirituales suggerendi. Quam geminam consuetudinem, cum a zelosis etiam et prudentibus Concionatoribus usurpatam fuisse sciam, improbare non audeo; id unum tamen diligenter observandum censeo, ad cavendum, ne ejusmodi fabellæ magnam partem concionis occupent, aut tam ridiculæ sint, ut ad effusorem risum Auditores concitare queant, sicque et gravitatem et fructum concionis destruant. Ut etiam in hac merita novitius Concionator ideam habeat, placuit utriusque hujus consuetudinis unum exemplar, materiamque pro plurimis ejusmodi concionibus habendis suggerere.

Exemplar primum.

Quomodo ova Paschalia spiritualia a Concionatore distribui queant.

Thema.

Surrexit, non est hic. MARE. XVI.

Scopus.

Frequens sui inspectio et renovatio suadenda.

Syllogismus principis.

Tunc frequens inspectio et renovatio sui merito suscipitur, quando est potissimum et efficacissimum medium ad veram sui reformationem et emendationem procurandam; atqui verum est antecedens, ergo et consequens.

EXORDIUM.

Etsi Mater nostra Ecclesia in multis aliis occasionibus teneram erga filios suos charitatem ostendat, eam tamen vel maxime hoc tempore Paschali demonstrat: dum cibos pro quadragesimali tempore prohibitos iterum permittens, sacra prius benedictione a Sacerdotibus consecrari jubet, ut tanto magis non corporibus dumtaxat, sed ipsis

etiam animabus prosit eorum sumptio. Et hinc scilicet mos ille profluxit, ut ova benedicenda variis coloribus inbuantur, et ab amicis in signum mutæ benevolentia, et amicitia invicem donentur; quem proin et ego servare statui, et quidem tanto perfectius, quanto salubrior, atque ad spiritualia atque ac temporalia bona augenda aptior erit doctrina, qua vobis pro ovo spirituali offerre decrevi. Confido itaque, vos ovum hoc non minori benevolentia et attentione a me accepturos, quam singulari fervore ac zelo salutis vestrae assecurande conceturos, atque in substantiam, id est, utilitatem vestram conversuros.

Propositio.

Narrant, civem quemdam olim vixisse, qui, etsi copiosam a majoribus hereditatem acceperit, eam tamen tam male administravit, ut totam prope tempore brevissimo amiserit. Quare vicinus quidam illius misertus, eundem visitasse, et sic allocutus fertur: « Nosti, vicine charissime, in quo statu res tua familiaris sit constituta, et quam probe ab extrema egestate absis, nisi prudentiori consilio tibi ipsi provideas, teque ab interitu liberes, quale quidem ego consilium jam nunc tibi offerre paratus sum, si illud acceptare non renuas. » Cumque is paratum se ad sequendum consilium, modo ne nimium difficilis sit illius executio, fore diceret, sic loqui vicinus perrexit: « En pyxidem tibi hanc offero ea conditione, ut quotidie eam per singulas domus tuæ partes, puta cellam, stabulum, horreum, culinam, aliaque similia loca circumferas; prius tamen illam non aperias, quam tibi a me permittatur. Id si constanter et diligenter feceris, ne dubites, quin alium brevi reurum statum sis visurus. » Sic instructum relinquens abiit ille in domum suam, civis vero consilium secutus, cum diligenter quotidie pyxidem petito more circumtulisset, et ubique magna negligentia a domesticis admissa indicia deprehendisset, majori vigilantia familiarum regere incepit clareque advertit, ipsam etiam rem familiarem non modica incrementa capere; unde occultam hujus prosperi successus causam in pyxide latere advertit, continere se diutius non potuit, quin eam aperiret, et inspiceret. Verum ubi eam aperuit, nihil aliud, quam quadam

hæc verba continentem reperit: « Wilst, dak dir dein Sachwbl geling, schat all Zag steissig ku dein Ding. » Ex quibus verbis facile causam prioris ruinae, et posterioris felicitatis collegit, ideoque hoc medium diligentius adhibuit, sicque brevi ad antiquam fortunam et opulentiam rediit. Quod consilium hic vicinus suo concivi dedit pyxidi inclusum, hoc ego ovo Paschali pariter inclusum vobis offero, ut ex istius consilii usu sedulo non tam rem familiarem, quam vitam statumque vestrum recte ordinare discatis.

Confirmatio.

Nam sic causam et radicem inquiramus, cur, proh dolor! tam male hactenus internus animæ nostræ status constitutus fuerit, deprehendemus profecto, non aliam magis fuisse, quam quod nosmetipsos et defectus nostros tam raro et oscitanter inspexerimus, ac discussserimus. Ita sane in primis testatur Sponsus GANT. I. dum Sponsam suam sic allocutus est: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum* (id est, passionum) *tuorum*. Quod ipsum more suo eleganter confirmans S. Bernardus in persona Dei sic loquitur: « O homo, si te videres, tibi displiceres, et mihi placeeres: sed quia te non vides, tibi places, et mihi displicet: venit tempus, cum nec mihi, nec tibi placebis: non mihi, quia peccasti: non tibi, quia ardebis. » Atque hæc videlicet causa est, cur S. Franciscus assiduo clamavit ad Deum: « Domine, qui es tu, et quis sum ego? » Hæc causa est, cur S. August. semper in pectore et ore habuerit verba illa: « Domine, noverim te; noverim me. » Imo per hanc viam antiqui Patres ad tantam perfectionem et charitatem pervenerunt, ubi B. Margarita Moniali in libro aureis litteris exarato per hæc verba ostensum fuit: Perfectio antiquorum Patrum fuit hæc, amare Deum et nosse seipsum. Nec mirum; quis enim si donum suam lustraret, et tectum undequaque lacerum, horrenum et frumentum vermicibus corrosam, thesaurum non occultum, penam apertam, domum sordibus et araneis plenum, cellam vinariam vacuum, aut certe non nisi acetoso vino instructam, doliaque non bene occlusa, pecora in stabulo soluta cerneret, quis, inquam, non gravem indignationem conciperet, et omnia contraria ordinaret? Atqui

idem nos quoque, si recte nos inspiceremus, reperturi essemus; quid enim per lectum, nisi charitas patiens, que omnia forti animo tolerat, et, ne animo noceant, avertit, designatur? Quis autem nescit, quam lacerum sit hoc tectum? Quam transeant injurie, tribulationes impatienter tolerate? Quid aliud est horreum frumentarium, quam voluntatis divinae impletio, seu bona opera, per quæ æternum vivere debemus? Quis autem non hæc vermicibus male intentionis et negligentia corrosa inveniet? Quid aliud est thesaurus noster, nisi cor nostrum, et conscientia nostra? Quis autem hoc non reperiet diligenter custoditum contra id, quod Salomon Prov. IV. suavit: *Omni custodia serva cor tuum*, etc. Quid aliud domus, nisi anima nostra? Quis autem non inveniet sordibus peccatorum plenam, et periculis damnationis æternæ obnoxiam? Quid aliud est cella vinaria, nisi occasio faciendi bona? Quis autem non inveniet, se negligentem admodum fuisse in hoc vino custodiendo, sed potius illud sine fructu elabi permisisse, et in vilibus creaturis velut aceto solatum suum quesivisse? Quid aliud, sunt pecora, nisi affectus nostri sensuales? Et tamen quanti ea non bene ligata, sed pro libitu excurrentia deprehendunt? Annon hæc omnia aliter disponent, si statim animæ suæ frequentius susciperent? Si ergo hæc omnia negligantur, quam aliam causam assignabimus, nisi considerationis defectum?

Vultis autem scire, quando et quomodo ejusmodi considerationes instituere debeatis? Respondeo, tribus præcipue temporibus id faciendum.

Et 1^o quidem quotidie exigendam aio rationem per conscientiam examen noctu peractum. Hic maxime portanda pyxis in omnia loca, in quibus fuimus, in templum, forum, mensam, cubiculum, lectum, etc. et videndum, quomodo ibi nos gesserimus; hoc enim electorum proprium esse, S. Greg. I. X. mor. c. xxx. his verbis testatur: « Electi intrasium cordis adversum se, quidquid impugnat, enumerant: ibi ante oculos suos omne, quod defleant, coarctant: ibi, quidquid per iram districti Judicis discerni possit, intuentur: ibi hoc judicio mente concepto omne ministerium, quod punire reos plenus debeat, exercent; nam conscientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat. » O si hoc judicium exacte perageremus, quam brevi tempore optima vite statum procurarem! Ita sane S. Ignatius Loiola per hoc

exercitium assiduo usurpatum, et se, et alios ad singularem vite sanctitatem promovit. Ita olim Pythagoræ per hanc sui notitiam, et inspectionem ad summam sapientiam pervenerunt. Ita sapientes Indici de facto faciunt non admittens quemquam ad mensam, nisi prius rationem factorum reddidisset, et aliquid bene a se factum narrasset. Hunc fructum etiam ante alios mulier illa sapiens tulit, de qua Salomon Prov. XXI. dixit: *Consideravit semitas domus sue, et panem otiosa non comedit. Sed quo fructu? Surrexerunt filii ejus, et beatissimam predicaverunt: vir ejus, et laudavit eam dicens: Multa filie congregaverunt divitias: tu supergressa es universas, ut adeo merito Joannes Nierenbergius lib. de adorat. dixerit, hanc disensionem esse officinam virtutum, in qua timor Dei, humilitas, cognitio sui, compunctio, fervor, perseverantia, prudentia auditur; non esse clavem lotus fervoris, ex cuius defectu omnis fere Christianorum lepiditas oriatur, ita ut locum habeat illud Sapientis: *Per agrum pigri hominis transivi, et ecce totum replerebant urticae, et operuerunt superficiem ejus spine.* E contrario vero quid pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem, inquit Seneca l. III. c. XXXVI? *Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? Quam tranquillus, quam altus ac liber?* Nimiram tunc implebitur illud Ps. XXIX. *Ad vesperam demorabitur fletus, et ad matutinum letitia.**

2^o Altera occasio est, cum confessionem Sacramentalem facere volumus; hic enim vel maxime iterum pyxis circumferenda. Hic consilium Is. XLIII. sequendum: *Reduc me in memoriam, ut judicemur simul: narra, si quid habes, ut justificeris.* Neque tamen solum in memoriam revocanda, sed etiam serio cum dolore sunt detestanda, uti Jer. c. XXXI. monet dicens: *Statue tibi speculum, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti.* Atque hæc videlicet causa est, cur tam pauci ex confessione facta sanentur, quia non considerant turpitudinem factorum, et relapsus. Dicite namque, Auditores, quid sentiretis de eo, qui ea, que paulo ante evomerat, resorberet? Aut de eo, qui post veniam furti acceptam aliquoties idem delictum repeteret? Aut de illo, qui accepit a Rege pecuniis exercitum, quo illum oppugnet, conseriberet? Annon ergo graviter vobis ipsis indignaremini, si similia a vobis ipsis facta cognoscere? Dicite ergo cum Is. Proph. c. XXXVIII.

Recogitabo tibi omnes annos in amaritudine anima mea; nam vere, ut Cassiodorus loquitur, *illis non iudex, sed patronus erit Christus, qui se propria confessione damnavit.*

3^o Tertia occasio est per annum recollectionem, si non per integram hebdomadam, saltem unum vel alterum diem; aut horas saltem aliquot, si aliter fieri non potest. Ad hanc recollectionem nos imprimis invitavit ipse Deus per Jer. c. vi. dum ait: *Stare super vias vestras, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulat in ea, et incenietis refrigerium animabus vestris.* Ita Christus MARC. VI. Discipulos etiam suos ad eam invitavit dicens: *Venite seorsum in desertum locum.* Cujus collectionis necessitatem eleganter S. Bernardus l. I. de confid. indicavit dicens: « Colligat et se intra asinus, qui omnes recipit; alioqui quid prodest tibi iuxta verbum Domini, si omnes lucrieris, teipsum perdens? Quamobrem cum omnes te habeant, esto et tu ex habentibus unus, quid solus fraudaris munere tui? Usquequo spiritus vadens et non rediens? Sapientibus et insipientibus debitor es, et soli negas te tibi? » O quam magnum fructum sperare possemus ex tali recessu! illum nempe, de quo Deus Os. iv. locutus est dicens: *Propter hoc ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Tunc diceremus cum discipulis in Emmaus: *Nonne cor nostrum ardens erat, quando nobis loquebatur?* Possem sane hujus fructus plura exempla referre, sed unum alterumve sufficere. Messane Filius quidam Baronis, quem nec trirèmes, nec parentum verbera immutare poterant, paucorum dierum recessu agnus effectus est, uti in hist. Soc. p. I. l. vii. n. 21. refertur. Alius juvenis Duaci post secessum hunc parentibus singularum morum mutationem admirantibus dixit: « Quid admiramini? Dæmon ipse, si similem secessum institueret, converteretur. » Ita annua lit. Soc. 1609. fol. 296. Sed memorabile præ ceteris est, quod in libello parvo *Sacra Tempe* dicto legitur, quod scilicet, cum in civitate quadam milites sat multi per unius diei secessum ad pugnam se præparassent, eques quidam insignibus nature dotibus ornatus irriserit ab initio hanc veluti nugatoriam pietatem, sed ubi postea amicum precibus fatigatus, curiositatis magis gratia, quam devotionis ipse etiam probavit, usque adeo mutatus est, ut speculum modestiæ et pietatis evaserit. Et ne Religiosis dum-

taxat aut Clericis hoc exercitium convenire quis dicat, audiat, quod in memorata Hist. Societ. p. I. l. v. n. 76. refertur, nempe Parmæ subinde centum et amplius simul fuisse exercitatos, tam feminas, quam viros, sic ut Parochi, Sacerdotesque et alii aliis traderent, et plebem ad exercitorium normam informarent, totamque urbem aliam redeant. Et quo, quasso, instrumenta hæc omnia sunt effecta? Non alio sane, quam consideratione et inspectione sui: « Hæc enim, ut S. Bernardus l. de confid. ait, primum ipsum fontem, id est, mentem purificat, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit accessus, componit mores, vitam honestat et ordinat, postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. »

Epilogus.

Nihil ergo superest, nisi, ut hoc ovum spirituale prompte, benevole arripiatis, et quemadmodum modo vobis ostensum est, diligenter usurpetis; sic enim futurum spero, ut præteritos errores, si qui in administratione interna anime œconomia admisi sunt, serio corrigatis, et talem deinceps ejusdem anime curam suscipiatis, ut nunc quidem vere cum Christo spiritualiter resurrexisset dici possitis, et quondam etiam quoad carnem cum ipso gloriose resurgere mereamini. Amen.

Alii conceptus.

Potest etiam Concionator, si voluerit, varia ova variis statibus distribuere. Dicat ergo 1^o Se Clericis deauratum ovum offerre, in quo Christus sub specie hortulani B. Mariæ Magdalene apparetur depictus sit. Et per aurum quidem excellentiam status Sacerdotalis supra alios status significari, utpote de quo S. Ambr. l. de Sac. c. II. dixit: « Si Regum fulgori eam (Sacerdotalem dignitatem) compares, et Principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas Regum colla et Principum submitti genibus Sacerdotum, et exosculatis eorum dextris, orationibus eorum se commendare. » Per Christum in hortulani specie indicatur, quod sit ejus officium, ut scilicet cum Jer. c. I. evellat et destruat, ædificet et plantet, cumque in finem

per ligonem ad radices vitiorum pertingere studeat. Per Magdalenam autem innuitur, quam caute cum mulieribus agere debeat; si enim Christus etiam glorificatus dixit S. Mariæ Magdalene: *Noli me tangere;* quanto magis hoc fragilis et mortalis Sacerdos dicere deberet?

2^o Dicat, se Magistratui offerre ovum rubro, seu incarnato, ut alii vocant (*Kelchfarb*) colore imbutum, in quo vigiles ad sepulchrum Christi vigilantes sunt depicti. Ut per colorem quidem, et Christi sepulchrum intelligant totam rempublicam esse quasi Corpus Christi, utpote de qua S. Paulus Rom. XII. dixit: *Muli unum corpus sumus in Christo.* Per vigiles vero discant sibi hoc corpus custodiendum datum esse, uti S. Paulus Heb. XIII. sat clare indicavit, dum dixit: *Obedite præpositis vestris, et subjacet eis; ipsi enim periculant quasi rationem pro animabus vestris reddaturi.* Præterea vero etiam discant, quibus armis instructi esse debeant, ut hoc corpus, quemadmodum quosque Corpus custodire queant, nimirum *Galea spei et bonæ intentionis* contra respectus humanos ad exemplum S. Pauli Gal. I. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: lorica fortitudinis* contra querelas et murmura subditorum, juxta illud Christi monitum MATTH. X. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* *Chirotheca ferrea contemptus munerum* juxta Dei præceptum DEUT. XVI. *Non accipies personam, nec munera, quia munera cæcæant oculos sapientum, et mutant verba justorum;* credant prorsus sibi quoque dictum a Christo MATTH. XIX. *Omnis, qui reliquerit domum (aut munera) propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Gladio justitiæ ad dividendum se suum cuique tribuendum per justitiam commutativam et distributivam; et *Husta justitiæ vindictivæ* ad arcendos eos, qui huic corpori nocere volunt. Denique discant ab his vigilibus vigilare, id est, oculos ad prudenter despicienda pericula, aures ad audiendas causas et querelas, manus et reliqua membra ad defensionem parata habere; sic enim verificabitur de illis, quod Christus LUC. XII. *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.**

3^o Conjugatis patribus familias dicat se cœruleum ovum offerre, in quo Christus in monte Galilee Discipulis apparetur depictus est. Ut per hoc intelligant, se juxta Christi

exemplum debere domesticis dicere: Præcedam vos in Galilæam, ita ut cum illo adolescente, qui ex peregrinis regionibus quoad mores penitus mutatus adveniens, et amasiæ, quam prius deperierat, occurrens dixerat: « Ego non sum ego, » idem dicere cum veritate possit. Quæ omnia facile per particulare casus fusius monstrari possunt.

1^o Mulieribus dicat se violaceum dare ovum, in quo tres mulieres cum aromatis ad sepulchrum properantes depictæ sunt. Ut per eas discant imprimis humilem subjectionem colore violaceo indicatam, uti jam pridem Apostolus EPH. v. monerat dicens: *Mulieres viris suis subdite sint, sicut Domino.* Deinde aromata preparare, id est, virtutes statui suo convenientes, quales sunt amor mariti et liberorum, concordia cum vicinis, vera devotio, sollicitudo pro domesticis et re oeconomicâ, misericordiâ erga pauperes, etc. Capiant præterea solatium ex Christi dignatione et sollicitudine, qua et illis primo post matrem suam manifestare Resurrectionem suam voluit, et lapidem de monumento removeri sine ipsarum opera fecit, etc.

2^o Dicat juvenibus se ovum partim rubrum, partim album donare, in quo Angelus ad sepulchrum sedens, et mulieribus Resurrectionem Christi nuntians depictus cernitur. Ut imprimis per colorem discant candido colori innocentie, rubrum colorem verecundie miscere, ut de his perinde ac Sponso dicere parentes possint: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Item studeant ut Angeli esse sine ruga, sed juvenes vivaces per fervorem et desiderium proficiendi in sapientia et gratia coram Deo et hominibus. Ut cum illo ad dextram sedeant id est, iis studiis et exercitiis vacent, quæ ad dextram ducent, id est, ad felicitatem temporalem et æternam obtinendam juvant. Sint etiam tacturari, non nisi pauca et necessaria loquentes juxta Sapientis monitum Ec. xxxii. *Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. Adulescens loquere in tua causa vice.* Denique non nisi breviter et caute agant cum mulieribus, ut Angelus exemplo suo docuit, et jam olim Siracides suavit. c. ix. dicens: *Non des mulieri potestatem anime tue, ne ingrediatur in virtute tua, et confundat.*

Pro epologo hortetur, ut ova hæc boni consulant, et doctrinas per ea datas sedulo observare conentur; sic enim ipsos et beneficium per hæc ova sibi præstitum copiose

remuneratos, et dignos futuros, qui olim cum Christo gloriose resurgant, et feliciter ad caelos ascendant.

Conceptus secundus.

Pari modo poterit Auditoribus omnibus simul sumptis ovum aliquod variis figuris et emblematis exornatum offerre. Ad quem finem variae Christi apparitiones servire possunt. 1^o Ergo dicat per apparitionem Matri factam, discere eos debere, quomodo se Matri Ecclesie totos immutatos et renovatos per confessionem et serium emendationis propositum sistere debeant. 2^o Quomodo per apparitionem Beate Magdalene in specie hortulani factam, sistere se pariter debeant subditis suis per modum hortulani, conando zizaniam vitiorum evellere, et flores virtutum in illorum animis plantare. 3^o Quomodo debeant amicis, vicinis, aliisque notis apparere cum Christo ut pacem apprecantes, et studiose eam colentes. 4^o Quomodo afflictis et solatio indigentibus debeant favum mellis, id est, consolationis porrigere. 5^o Quomodo ignorantibus debeant cum Christo in Emmaus eunte se sociare, et in rebus ad salutem pertinentibus instruere. 6^o Quomodo debeant in Purgatorio constitutis cum Christo ut redemptores apparere; sique tandem post tot apparitiones virtuosas merito gloriosam etiam cum Christo ad caelos ascensionem sperare possint.

Conceptus tertius.

Potest etiam omnibus unicum ovum una tantum figura seu emblemate insignitum offerre in hunc modum, ut dicat ovum rubro colore imbutum, ex una parte Christum gloriose resurgentem representare cum hac inscriptione: *Surrexit vere;* ex altera vero parte pulchram coronam hæc verba continentem: *Aspice et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est.* Ut ergo optatum ex hoc ovo fructum referant, ostendat. 1^o Quomodo Christus resurrexit, nempe virtute propria, reuniendo animam cum corpore, et quatuor corporis gloriosi dotes, scilicet impassibilitatem, subtilitatem, agilitatem et claritatem per varios actus demonstrando. 2^o Ostendat, quomodo in hac Resurrectione spiritualiter quisque imitari eum debeat,

nempe virtute propria, id est, cum libera voluntate, animam iterum per charitatis divini unionem Deo jungendo, et uniendo, et impassibilitatem in adversis cum lætitia, et quasi sine sensu toleratis: agilitatem per promptam obedientiam ad omnem Dei et superiorum nutum. Subtilitatem per impedimentorum, quæ a perfectione abstrahunt, qualia sunt consuetudo peccandi, societas mala, horror difficultatis, generosam remotionem: claritatem per honorum exemplorum abundantiam demonstrando; quæ omnia facile fusius amplificari possunt.

Pro epologo incitentur Auditores ad hanc resurrectionem spirituales illis apostoli EPH. v. verbis: *Surge, qui dormis, et exurge a mortuis.* Jubeantur proin respondero cum S. Davide: *Exurgam ditulco.* Sic enim fiet, ut vere resurgant, et de illis perinde ut Christo dici possit: « Christus semel mortuus jam non moritur, mors illi non dominabitur, sed vita vivet beata, » et hic, et in æternum.

Conceptus quartus.

Poterit etiam eundem Christum cum rubro vexillo in manu depictum in una parte ovi, in altera vero hæc verba: « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me; » descripta offerre, dicereque, cum nunc tandem a Christo gloriose victus sit Dæmon, cælumque reseratum, Diabolum omnes vires suas intensurum, ut quam plurimos ab ejus ingressu impediatur, atque adeo novum bellum illis indicturum; Christum vero, ne ipse prevaleat, et sanguis suus frustra sit profusus, aliud vexillum erigere, atque, ut sub auspiciis suis militent, homines omnes invitare. Adeoque verum esse, quod S. Job c. vii. dixit, Militiam esse vitam hominis super terram, cur autem potius sub Christo, quam sub Diabolo et quibus armis militare debeant, hæc se concione demonstraturum.

In prima ergo parte ostendat, quanta sit diversitas horum Duceum, et quod Christus quidem sit nobilissimus (quia Dei Filius) fortissimus (quia vicit, quem nemo vincere potuit) felicissimus (quia semper de hoste triumphavit, ut patet maxime ex triplici tentatione) amantissimus suorum militum (utpote quos proprio corpore pascit, et vita ac sanguine redemit) liberalissimus, ut qui æternum,

summumque militibus suis premium promittit, si fortiter dimicent, et feliciter vincant; omnia vero contraria in Lucifero reperiantur, ut qui simulato animo falsas et apparentes voluptates et felicitatem promittit, ut æternum suos milites perdat, et crudelissimis tormentis cruciet; ut adeo stultissimus merito sit futurus, qui post cognitam has fraudes ac odium adhuc eidem magis, quam Christo adherere malit.

In secunda parte ostendat, quemadmodum Diabolo potissimum ad oppugnandos homines sibi adversantes utitur gladio concupiscentie juxta illud S. Jacobi c. iv. « Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis, quæ militat in membris vestris. » Ita Christum suos milites armare gladio S. Michaelis, *Quis ut Deus?* Si enim hoc, ut oportet, usi fuerint, facile concupiscentiam superabunt, utpote scientes, quod omne id, quod concupiscentia offert, in Deo velut fonte plenus, et constantius possideant.

Pro epologo hortetur, ut imaginentur sibi Christum illa Moysis verba Exod. xxxii. dicere: *Si quis est Dominus, jungatur mihi.* Sed et gladium dictum illis Jeremie Mach. xv. verbis offerre: « Accipe sanctum gladium, munus a Deo, in quo decies adversarios populi mei Israel. » Credant subinde classicum sibi cantari a S. Chrysostomo his verbis: « Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio concerta. Considera pactum; attende conditionem, militiam nosce, pactum, quod spopondisti: conditionem, qua accessisti: militiam, cui nomen dedisti. » Alloquantur proinde, et excitent se mutuo illis pii Ascetæ verbis l. iii. de imit. Christi c. lvi. « Eia fratres, pergamus simul. Jesus erit nobiscum. Erit adiutor noster, qui est Dux noster et precessor. En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores, simul parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriae nostræ, ut fugiamus a Cruce. »

Conceptus quintus.

Non minori etiam Auditorum fructu et solatio posset dicere Concionator, omnes quidem apparitiones Christi fuisse valde consolatorias, sed nullam magis quam illam, qua stans in medio dixit illis: Pax vobis: quid enim pax jucundius et utilius excoigit po-

test? Ut ergo hoc solatio etiam Auditores frui queant, dicat Concionator, se ovum Paschale oblaturum, in quo Christus in ultimo convivio sedens, et Discipulis corpus suum prehens ex una parte, ex altera vero parte hæc verba : *Pax vobis* : per coronam oleaceam inclusa represententur ; ostensurum proinde, cur hoc tempore pacem optare et servare debeant. Deinde, quomodo eam cōservare possint.

Pro prima ergo parte narret imprimis, quod de Romanis Ethnicis Valerius Maximus l. II. c. 1. scribit in hæc verba : « Convivium solenne majores instituerunt, idque Charistia appellaverunt, cui præter cognatos et affines nemo interponebatur : ut si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ et inter hilaritatem animorum, factoribus concordia adhibitis, tollerentur. » Inferat subinde hoc multo magis fieri oportere in hoc convivio ; et cum nulli sint magis nobis cognati et affines, quam Deus, proximus, et nos ipsi, ideo merito nunc cum his pacem renovari, illudque Barnagosii, Regis Abyssinorum Ducis dietum repeti : « Quam pacem Jesus Christus generis humani Redemptor Discipulis reliquit, eadem esto inter nos, qui ejusdem profitemur cultum et fidem. Hinc primorum Christianorum erat cor unum et anima una, quia quotidie hoc convivio reficiebantur, Act. vi.

Pro secunda parte ad conservandam hanc pacem dicat, Christum illis quasi S. Pauli verbis *Palm. II.* nos alloqui, mediumque simul ad servandam pacem offerre : « Si qua consolatio, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, inplete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitantes : non que sua sunt, singuli considerantes, sed æque aliorum. » Vere enim *meum ac tuum* innumera gignit bella, teste S. Chrysostomo, hæc ergo radix tollatur per concupiscentie inordinate expugnationem, et firma inter omnes pax persistet.

Pro epilogo hortetur illos ad hanc pacem illis S. Davidis verbis *Ps. xxxv.* « Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Declina a malo, et fac bonum. Inquire pacem, et persequere eam. » Eam sane se ex corde optare, atque adeo dicere cum S. Paulo *II. Cor. xiii.* « De cætero, fratres, gau-

det; perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Pax (ergo) Dei, que exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.

Conceptus sextus.

Poterit non incommode etiam ipse Christus ovo rubro comparari, et auditoribus offerri, tum ut ipsum Christum magis æstimare; tum ut eidem similes esse studeant in vita, si similes esse in gloria cupiunt.

Primo itaque ostendat, quam convenienter per ovum omnes Christi potiores partes represententur, nam per testam fragilem simul et candidam mortale et purissimum, virginemque Christi corpus indicatur; per albam item candidissimum purissimum Christi anima; per rotundum et aureum vitellum Divinitas undequaque perfectissima: per rubrum denique colorem ovi Sanctis. Passio Christi (de qua *Is. c. lxi.*) loentus est, dum dixit : *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari*) representatur. Quemadmodum autem ut ex ovo pullus prodeat, illud vel a calore matris, vel (ut in *Egypto* fieri consuevit) fornacis foveri et excoqui debet, et tum demum testa contracta pullus egreditur; ita, ut anima Christi glorificata exire, caelosque ascendere possit, prius eandem a calore vivificæ charitatis excoqui oportebat, id quod per passionem abunde præstitum est; quæ omnia paulo fuis explicari possunt.

Pro secunda parte ostendat, quomodo quivis Christianus animam suam velut vitellum in corpore suo velut fragili testa circumferat, ea intentione, ut pullus aliquando Christo similis prodeat; huc enim tanta eorum, quorum curæ commissi sumus, sollicitudo tendit: hinc de nobis illa S. Pauli *Gat. iv.* verba usurpant : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Itaque non solum nos eorum efformationi directionique subijcere, sed ultro etiam ex nostra parte cooperari debemus, ut Christo quam similis in vita moribusque efficiamur: sed et patienter ad illius exemplum testam hanc mortalis corporis per morbos mortemque confringi patiamur, ut tandem cum illo feliciter exire, et ad cœlestem patriam evolare possimus. In quibus autem potissimum ei si-

ripiles effici debeamus, S. Pauli ad *Philipp. II.* indicavit dicens : « Exinanivit semetipsum formam servi accipiens. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, etc. »

Quomodo fabella Paschalis narrari possit.

Thema.

Surrexit, non est hic. *Marc. xvi.*

Scopus.

Demonstranda vanitas omnium rerum extra Deum.

Syllogismus principalis.

Omne id, quod invito homini eripi potest, vanum est; sed omnia, quæ extra Deum sunt, invito homini eripi possunt; ergo omnia extra Deum vana sunt.

EXORDIUM.

Non dubito, quin Paschalem hodie pro more fabellam a me expectetis; quare ne desiderium vestrum diutius suspendam, jam nunc incipiam fabellam vobis narrare tanto antiquiorem et gratiorem, quanto aptior est ad doctrinam saluberrimam, festisque presentibus perquam accommodatam inculcandam.

Narratio.

Eucionem aiunt fuisse, qui, cum tenacitate sua ingentes opum thesauros coæcervasset, miris angebatur sollicitudinibus, ubi tandem has opes secure asservare posset, sciebat nempe male parta male plerumque dilabi: sciebat infidam esse domesticorum custodiam, maxime ubi de proprio commodo agitur: sciebat, nullam seram adeo firmam esse, quæ cleptorum insidiantium astu ingenioque frangi et reserari non queat. Quare cum omnia fraudibus et direptioni obnoxia videret, tandem consilium concepit, ejusmodi locum eligendi, qui vel minimam etiam latentis

thesauri suspicionem movere non posset. Habebat in suo domo sacellum parvum quidem, sed amabile, et devotioni fovende non parum opportunum. In eo, ut suo tempore pios aliquos affectus in aliis quoque concitaret, sepulchrum fieri jusserat ad illius normam, in qua Servator noster per triduum defunctus jacuerat. Hunc ergo securissimum thesauro suo custodiendo locum ratus, cistam prægrandem sub eo abscondit, et, ne ulla latentis thesauri suspicio cuiquam moveretur, hunc titulum sepulchro inscribi jubet : *Hic jacet Christus sepultus.* Et sane videbatur thesaurus extra suspensionem positus, cum nemo sepulchrum illud utpote immobili loco affixum aut scrutaturus, aut intraturus crederetur. Verum cum famulorum quispiam sæpius dominum, quam alias conseverat, sacellum intrare, et semel etiam iterumque admotis auribus pecunias numerare advertisset, id, quod res erat, suspicatus, sacellum eo absente scrutari cepit, nec difficile latentem eistam invenit: inito ergo cum sociis consilio, cum dominus quondam longiori morbo affixus lecto teneretur, pecuniam reserata cista exemit, tituloque sepulchri ablato, hunc substituit : *Surrexit, non est hic* : fugaque cum sociis arripit, saluti suæ consulit. Quantum vero postea dominus ad sacellum rediens ex lecto titulo, thesauroque amisso dolorem conceperit, facilius est conjicere, quam verbis explicare.

Applicatio.

Atque ita quidem finxerunt nonnulli; verum ego, dum vanas hominum occupationes, tristesque eorum exitus accuratius perpendo, non jam figmentum, sed veram historiam esse censeo. Quis enim non quotidie fere quam plurimos simili astu a dæmone, mundo, et carne, pessimis utique sociis decipi, bonisque suis spoliarum oculis subijcio? Unum dumtaxat alterumque oculis subijcio. Quis unquam majores thesauros, quam ditissimus Salomon collegit? Quis unquam divitiis affluxit ut ille? *Coæcervavi mihi*, inquit ipse *Ecl. II.* « argentum et aurum, et substantias Regum et provinciarum, et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem. Sapientia quoque perseveravit mecum, et cum illa omnia bona pariter venerunt, et innumerabilis honestas per manus illius. Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non

negari eis nec prohibui cor meum, quin omni voluptate fruere et oblectaret se in his, quae preparaveram. » Annon huic cordi inscribi poterat : Hic est felicitas sepulta ? Sic certe plerique ; sic Regina Saba III. Reg. x. exclamans : *Beati viri tui, et beati servi tui hi, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam* : sic ipse Salomon crediderat dicens : *Vadam, et affluam deliciis, et fruam bonis*. Sed audite, quam splendide deceptus sit : « Cumque me convertissem, inquit, ad universa opera, quae fecerunt manus meae, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem, » cordique adeo inscriptum est : Surrexit, non est hic. Aliud et recentius exemplum a Cantipratano in lib. Apum narratur his verbis : Prope nostra tempora fuit mulier nobilis, Maria Campaniae Comitissa : haec nupta nobilis, Henrico Campaniae Comiti, filia fuit Iudovici Pii, et Soror Philippi Regum Francorum, quatuor Reges fratres in Anglia habuit. Haec multis annis mortuo marito eum posmissima ambitione circueiens et moriens talem finem sortita est. Laboravit enim in extremis, et Abbatem Persaniae sanctissimum et eloquentissimum virum migratura venire mandavit. Qui ut venit, intronissus non est, et praeforibus expectavit, jam enim Comitissa decesserat, et distrahebantur a militibus et ministris suis utensilia, vasa aurea, et argentea vestes pretiosae, cultitreaeque purpureae, et tandem linteamina ipsa cum pepilis. Extremo unus ex garsionibus, mora nimia retardatus, lectum per cornua comprehendit, et resupinatum corpus emortuum, eminus, in stramenta devolvit. Moras autem Abbate cum taedio sustinente, quidam nobilis ex circumstantibus indignantibus, ostium infregit violentem et virum venerabilem intronissit. Qui, cum introisset, et nobile illud corpus nobiliss. Comitissae nudum in stramento reperisset, volente quodam ex familia illud strumibus operire, Abbas exempli providus non sinebat, sed libera voce clamabat : « O vos omnes cernite pompam nobiliss. Comitissae Mariae, videte, illud delicatissimum corpus quanto dedecore pudoris obvolvitur : videte, quid ei pro multiplici honore et gloria mundus exolvit. Ecce quam stulta illis mundus commutatione conclusit. » Huc usque Cantipratanus. Annon hic iterum iure inscribi poterat : Surrexit felicitas, non est hic. Et si hi, qui tam copiosas divitias, honores, et voluptates possederant, non nisi vanitatem

et afflictionem spiritus in illis repererunt, quomodo vos in minoribus longe opibus, dignitatibus et voluptatibus aliud sperare poteritis ? *Ut quid ergo, o filii hominum, diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium ?* et, ut S. Anselmus loquitur, « quid vagaris, o anima, per multa, quaerens bona corporis et animae ? Quere unum bonum, in quo est omne bonum, et sufficit. » O utinam vel nunc exclamaretis cum S. Davide Ps. lxxv. *Quis mihi dabit pennas, sicut columbae, et volabo, et requiescam ? Illius scilicet columbae, quae Gen. viii. Cum non invenisset, ubi pes ejus requiesceret, reversa est ad Noe, qui idem ac requies significat, atque adeo Deum convenienter representat ? Ita sane exemplo suo nos docuit magister Rolandus Cremonensis, ut in vitis Praedice, p. IV. c. viii. legitur, qui, cum in festo quodam de scarleto panno haberet novas et pretiosas vestes, et solemnibus epulis cum sociis interfuisset, et totam illam diem in lusibus et vanitatibus, et huiusmodi vana gloria transegisset, nocte ad se reversus tacite intra se dixit : Ubi est festum, quod fecimus ? Et tota letitia illa, quae abiit ? Videns ergo, quod omnis mundi laetitia cito transit, et ad dolorem convertitur, sequenti die ordinem est ingressus, in quo multis annis deservivit Domino, Sanctitate, fama, scientia et doctrina praeclearus. Merito ergo exclamat et conqueritur de plerisque hominibus Deus DEUT. xxxii. *Genus absque consilio est, et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent ac novissima providerent*. Ne ergo de vobis quoque, id aliquando queri possit, vos sapientiores estote, et novissimam omnium terrenarum rerum vanitatem frequenter et accurate perpendite. Memento, quod S. Aug. ser. xxx. de Sanctis dixit : « Scimus, fratres, quod omnis homo gaudere desiderat, sed non omnes ibi quaerunt gaudium, ubi oportet ; nam cum ea diliguntur, quae possunt contra voluntatem amittere, necesse est, ut pro his miserime laboremus. » Hinc merito alibi hortatur : « Qui vult gaudere de se, tristis est. Qui autem de Deo gaudere vult, semper gaudebit, quia Deus sempiternus est. » Talis namque experietur id, quod Abbas Deicola olim confessus est, qui, cum inter media etiam tormenta letissimum semper se ostenderet, causam laetitiae rogatus dixit : Deum meum nemo mihi eripere potest. Vultis autem scire, quomodo Deum retinere, et in eo gaudere possitis ? Audite iterum S. Aug. in Epist. ad Maced. dicentem*

« Ad Deum, qui ubique praesens est, non pedibus licet ire, sed moribus ; mores autem nostri non ex eo, quod quisque novit, sed quod diligit, dijudicari solent ; nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores ; opera ergo bona, seu actus virtutum, puta charitatis divinae, religionis, obedientiae, iustitiae, patientiae, perseverantiae, et similibus, haec sunt vere divitiae, quae ad omnia, praesertim autem ad aeternam felicitatem comparandam sunt utiles : has solas nunquam contra voluntatem nostram amittere possumus : hinc tam sollicite monet Servator MATTH. vi. « Thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi neque aëro, neque linea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. » Vere enim, ut Apoc. xiv. Deus scribi iussit, « Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis ; opera enim illorum sequuntur illos.

Epilogus.

Ut ergo finem tandem faciam concioni, omnes vos cum Ecclesia illis S. Pauli Coloss. c. iii. verbis adhortor : *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt sapite, non quae super terram*. Si ergo hactenus felicitatem vestram in divitiis peritibus posuistis, mementote semper, olim de illis dictum iri : Surrexerunt, non sunt hic ; ideoque veras et immortales divitias honorum operum et virtutum, quae invitis eripi non possunt, quaerite, et congregate. Si hactenus felicitatem vestram in voluptatibus vanis posuistis, cogitate, de is quoque olim dictum iri : Surrexerunt, non sunt hic, ideoque tales voluptates quaerite et gustate, quas semper et ubique habere possitis, quales sunt quae ex Deo et bonis operibus, ex pura conscientia hauriuntur. Si denique felicitatem vestram in honoribus posuistis, cogitate, et hos vanos esse, brevique duraturos, atque adeo de illis quoque dictum iri : Surrexerunt, non sunt hic : tales ergo honores quaerite et affectate, qui ex vera stabilique radice, videlicet ex virtute oriuntur. Verbo : id unum semper tenete, id unum sentite, id unum ore, opereque profitemini : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, praeter amare Deum et illi soli servire*. Amen.

Alii conceptus. — Primus.

Ad hunc finem potest etiam servare fabula de Lupo, qui a rustico in ovili deprehensus ; jamque fuste mactandus, summis precibus vitae gratiam exoravit, firmissime promittens se nunquam deinceps ultra quantitatem septem obolis emendam voraturum. Hac ergo conditione dimissus paulo post, dum ad sylvam revertitur, vaccam praepinguem cum vitulo pariter bene impinguato in prato pascentem reperit. Quid ageret ? Ex una parte tam dona occasio pinguis epuli nunquam tam facile reditura ad devorandum vaccam, vitulumque invitabat : ex altera vero parte memoria promissi paulo ante rustico facti a meditato facinore absterrebat. Ut ergo et occasionem tam optatam non negligeret, et simul etiam fidem rustico datam inviolatam servaret, hoc modo secum ratiocinabatur : Promisi rustico, me vorando quantitatem septem obolorum nunquam excessurum ; hanc conditionem autem in devoranda haec vacca, vituloque servare possum ; nam vacca cum non adeo magna sit, vix majori quam quatuor obolorum pretio stabit ; vitulus vero utpote minor vacca, etsi impinguatus sit, vix tamen trium obolorum pretium excedit. Quare utrumque aggressus mactavit, et devoravit.

Ex huius fabula occasione explicari possunt causae, cur post tot confessiones Paschales tam parva emendatio sequatur ; dici namque potest, idem permultis, quod huic lupo evenit accidere. Deprehenduntur namque et ipsi a Confessario, et Deo in gravibus criminibus, ob quae mortem aeternam promeriti fuissent, et quia emendationem pollicentur, absolvuntur et liberi dimittuntur ; sed vix templo egrediuntur, et mox occasione oblata iterum in pericula se conjiciunt, dicentes, Confessarium non occasionem, sed ipsa peccata prohibuisse, siquidem dum pericula amant, percunt in illis. Sed quae horum causa ? Quia cum lupo radicem, id est, concupiscentiam inordinatam nunquam deponere student, quod, quamdiu non agunt, frustra seria emendatio speratur, nam, ut sapienter pius asceta I. III. c. xxvii. dixit : « Juvat non quelibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potius contempta et decisa ex corde radicibus. Munit parum locus, si deest spiritus fervoris, nec diu stabit pax illa quaesita forniceus, si va-